

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0732

0730

0736

0726

0741


ignis in ea ardet. Et multa talia de eo dicuntur mari, de
quibus dicit Josephus, quod fabula maris mortui fidem habet.

Dicitur etiam mare in Scriptura mare salsissimum,
Numeror. 34. et Josuae XII. Ideo autem in Scriptura in
superlativo nominatur salsissimum, quia nullum mare mundi
est eo salsius, nec aliqua aqua dulcis potest tantum saliri
sale nostro, quod ad mensuram illius salsedinis et amaritudinis
perveniat.

Dicitur etiam mare salis Gen. 14., quia sal ibi copiose
habetur, et aqua hausta ex hoc mari et ad solem posita
statim sal efficitur. Nonnumquam etiam mare salinarum, quia
multae salinae ibi quondam erant, et possent esse hodie. Sunt
etiam juxta hoc mare montes salis, et saxa contrita sal sunt.
In opposita regione Moabitide vidimus montem album saxo-
sum, cuius tota congeries sal est, et lapides ejus contriti sal
optimum est, sicut et ejus arena. Et hoc sal, sic de terra
sumtum, dicitur proprie sal terrae, cui coaequat Dominus
suos discipulos, Matth. V. dicens: Vos estis sal terrae. Quod
utique sal optimum est et magis pretiosum quam sal aquae,
quod ex decoctione est, sicut est sal nostrum, et sal in
salinis factum ad solis calorem, sicut saepe vidi etiam in
litoribus maris nostri. Diversa enim genera salis in orbe
reperiuntur. Nam in Sicilia est sal, quod aquae injectum
induratur, et igni applicatum dissolvitur.

In Cyronia invenitur sub arena sal aromaticum valde
pretiosum. In excrescentia vel decrescentia lunae plerumque
in regionibus sunt montes salis durissimi, de quibus ferro
sal raditur, et de saxis salis grandes muri et aedificia eri-
guntur, ut in Pannonia. Reperitur etiam sal nigrum, sal
purpureum, sal gilinum sive croceum, item sal candidissimum.

Nominatur etiam mare aspalti, sicut ante subversionem
dicebatur vallis aspalti sive bituminis, quia adhuc in ejus
littore sunt putei bituminis, quod effossum vendit, quia est
materia solidissima pro muris, et juxta puteos illos stant
pyramides muratae altae. Ibi etiam (241 A) invenitur bitu-
men, quod de mari per ventos ejicitur ad littus, et cohaeret
sibi mutuo fortissime, nec solvi potest, nisi sanguine men-
struo, et appellatur gluten Judaicum, et assumitur in medicinis



0231

Ende

Anfang